

T

60a

MEDICÆ FACULTATIS DECANI
IO. HADRIANI SLEVOGTTII
M. D. ET P. P.
PVBLICA INVITATIO
AD
INAVGVRALEM DISSERTATIONEM
DE
**TVMORIBVS
TVNICATIS**
cui
PROLVSIO
DE MOMORDICA
PRÆMITTITVR
DIE XV OCTOBR. A. O. R. MDCCXIX.

IENAE
LITERIS VVERtherianis.

THEOGENII
ON THE PAP

PHYSICA INVENTATIONIS

INVENTORIUS-DISCUSSIONEM

PHYSICAE LIBRAE
TRANSGATIS

DE MONORDICA

ET C. DE MONORDICA





Q. D. B. V.

MEDICÆ FACULTATIS DECANVS

IO. HADRIANVS SLEVOGTVIUS

M. D. ET P. P.

L. B. S. P. D.

Cum clarissimus summorum in Medicina hono-
rum Candidatus,

GODOFREDUS SAMUEL NITSCHKE
Islebiensis,

inauguralis Dissertationis thema ex illa salutaris Artis specie,
quæ externis afflictionibus mortalium per manum quidem
operam potissimum medetur, neque tamen pharmacis, ex
tribus materiae medicæ regnis capiendis, carere potest,
depromserit, haud alienum quid ab instituto solennis
Disputationis me facturum confido, si Prolusionem, pu-
blicz ad eam invitationis, editurus, ex tertia Professionis
meæ parte, egregium aliquod vegetabile, & a Chirurgis
magnop-

magnopere expetitum, in scenam produxero: istud sci-
lic. quod, ob insignem vulnera sanandi efficaciam, Gallis
Pomme de merveille audit, &, ob eandem rationem, iam-
dudum apud Ligures Padanos *Balsamine* nomen gessit:
cum, sec. Dodonum, vires travmaticas, Opobalsamo haud
inferiores, possideat. Idem nomen Rajus, Hist. Plant. Tom.
1, Lib. 12, Part. 1, Cap. 7, p. 647, refinat; insignes Botanicos,
Joannem & Casparum Bauhinios, fratres, secutus, quorum
ille plantam, ob figuram floris & fructus, *Balsaminam Cucume-*
rinam, hic autem ad teneritudinem caulium, alieno admini-
culo indigentem, respiciens, *Balsaminam rotundifoliam* repensem,
sive marem salutavit. Cur in Hetruria *Hierosolymitanum* pomum,
ab Hermolao Barbaro autem, aliisque Italos, & Dodonæo, *Cha-*
rantia vocetur, non magis liquet, quam origo nominis Mo-
mordica, inter multos alios, etiam Castori Duranti & Tourne-
fortio usitatum, quod aliqui Zeylanicum esse volunt; cum
in hac insula & apud Malabaros frequentissima sit herba, &
in sepiibus affatim proveniat.

Ut totius hujus vegetabilis habitus in conspectum
producatur, figuram ejus ex Jo. Bauhini Histor. plant. &
Rob. Morisonis Plantar. Hist. Univers. Oxoniensis part. 2,
pag. 33, delineabo. Ex semine pulpoſo ovali, depresso,
cuti aspera & nigricanti, circa marginem leviter crenata,
incluso, primoque vere arenoso solo credito, radix par-
va & fibrata nascitur, post mensis lapsum, aliquot graciles
striaſosque caules, ad duos, tresve cubitos exorrhigendos,
protrudens, ex quibus mox, supra terram, præter copiosa folia
angulosâ, & ad bryoniæ atque vitiæ similitudinem incisa, hi-
larique virore nitentia, multi capreoli progerminant, qui vi-
cina corpora amplectuntur, & flexilia farmenta, foliis, floris
bus & fructibus onusta, in terram lapsura, elevata suspendunt.
Ex foliorum alis prodeunt numerosi flores, longis petiolis
prædicti, ex albo flavescentes, in quinque partes profunde
dissecti, & cum luteis staminibus, rosa, vel campanæ in mo-
dum

dum expansi, & neutiquam adeo exiles, vt, sec. Morissonem, omnium horariorum (vel potius horariorum) fructuum minimi sint, cū diameter exterioris ambitus sesquipollicem æquet. Harum primi vþplurimum steriles decidunt, qui vero, succedente tempore, fœcundi emergunt, tenello, ovali & aspero fructui insident, qui sensim auctus, in plerisque speciebus ad ovi mediocris, non columbini, vt Morisson putat, sed Gallinacei crassitatem, in medio ventricosus evadit, & in utroque extremo in obtusum conum definit; in paucis autem, instar cucumeris, teres manet. Cutis ambiens vt plurimum a multis tuberculis, quæ bullas & verrucas vocant, inæqualis redditur, & in quibusdam saltē glabra existit. Color aliquamdiu ex viridi albicans est, deinde flavescit, donec tandem svavi rubidine, in subjectam carnem penetrante, tingatur, & sic indicium maturitatis præbeat. Qua adepta, fructus sponte, tanquam ab elatere ruptus, dissilit, vt intra rubescensem carnem simplex cavitas conspicatur, aliquot semina, coccinea pellicula, tanquam calyptra obvoluta, continens, qua si spoliiantur, flavent, & exsiccata nigrescent.

Ex hac descriptione, posteriori specierum parti competente, patet, haud commode a C. Bauhino Momordica folia rotunda appellari, quæ adeo ad vitis figuram accedunt, vt ipsa planta nonnullis *viticula* & *viticella* audiat: neque etiam *maris* epitheton, ab eodem Bauhino, Gerardo & Parkinsonio ipsis recte tribuitur; cum Natura sexus, inter vegetabilia, discrimen nesciat, & (modo ingeniosis quorundam commentis fidem habere licuerit) flos quilibet hermaphroditum agat, flororumque jularum & antherarum polline, masculinae generatione viribus instructo, embryones sémīnum, fructui ac pistillo, tanquam utero inclusos, vel externe ipsi adhærentes, aspergendo, fœcundos reddat; vt proinde maris atque feminæ epithetis minime opus sit, & præterea Momordica per naturalem characterem a balsamina aliisque segregetur, vt mox ostendetur, quam primum indicatum fuerit, C. Bauhino,

absque suo merito, a Morifone, l.c. pag. 34, hallucinationem
imputari, quasi vitiōse momordicam inter repentes herbas
numeraverit, cum ea per capreolos suos scandat, repere autem &
serpere radicibus tantum conveniat. Verum, si quis perticam &
fulcrum teneris nostra planta flagellis subtraxerit, mox illa
in terram concident, superque ea, more centinodii, numu-
lariæ & aliorum infirmorum vegetabilium, reptare cogentur,
nec facilius sese a lapsu tuebuntur, quam pleraque objectiones
Morifonis, quibus iste, ceu justo rigidior censor, viro,
de botanica, & in primis de plantarum nomenclatura meri-
tissimo, insultare non erubuit, a petulantia crimine absolu-
ventur.

Quod igitur characterem & dignoscendi signa attinet,
refertur Momordica a Rajo inter herbas pomiferas, tales scil.
quarum fructus carnosus, per magnitudinem suam & corti-
cem crassorem, a bacca, membranoso saltum tegimine uten-
te, discernitur. Florem quoque ipsi nudum & monopetalum, in
quinque partes divisum, summoque fructui insidentem, tri-
buit: sed nec nudus est, quia amplio calyce pentaphyllo cin-
gitur; nec monopetalos statui debet. Quamvis enim a Tour-
nefortio quoque talis vocetur, adeo profunde tamen, ad cen-
trum usque, dissectus ipsi dicitur, ut obscurum videatur,
num ex uno petalo, vel quinque componatur. Verum, cum
mille flores totos, & quinque suas lacinias adhuc connexas
habentes, in horto meo decidisse viderim, nullum dubium
superest, eos nec monopetalos cum Tournefortio, Instit. p. 103,
& Heuchero, Indic. plant. Hort. med. Wittenb. p. 9, aliisque,
nec pentapetalos cum Morifone, l.c. p. 33, sed pentapetaloides po-
tius vocandos esse; vt hoc paecto unico vocabulo, in quot
partes illi dissecti sint, simulque integritas centri innuatur.

Quo minus autem hæc planta porro in cucumerum familia
toleretur, ad quam eam a Cordo, in Histor. stirp. & Morifone,
sub nomine *cucumeris punicei* relata legimus, aut cum Jo.
Bauhino *Balfamina cucumeraria*, ac *cucumerina* cum Lobelio &

Came-

Camerario vocetur, aut denique, verbis Morisonis, l. c. p. 34,
a floribus & fructu perfecta cucumeris species statuatur, obstat di-
versitas manifesta seminum, quæ in momordica sub calyptra,
ea obvolvente, durum, asperum, crassum, inque margine den-
ticulatum corticem offerunt, & in fructu unicapitulari fine
ordine recumbunt: cum contra ea semina cucumeris, utrin-
que acuminata, nudo politoque cortice tegantur, & in tribus
quasi loculamentis, pulposis placentis refertis, in duas series
affabre disposita jaceant.

Num *Balsamina* nomen, quod olim & hodie frequen-
ter Momordica tribui consuevit, ipsi porro concedi possit,
valde dubito. Quamvis enim Hermannus, Paradisi Batavi
pag. 102, duo genera herbarum, idem nomen gerentium, a
Botanologis, ibi haud nominatis, constitui scribat, quorum
primum pomiferum scandens, *Balsaminam marim*, i. e. Momor-
dicam cum affloibus speciebus; alterum vero illam, non scan-
dentem, capsulatamque herbam comprehendat, quam Do-
donæus absolute *Balsaminam*, C. Bauhinus atque Tournefort
Balsaminam feminam, & Joh. Bauhinus *feminam*, perfici, vel *salicis*
folio, salutant: ratione floris tamen atque feminis, & modi
nascendi, hæc nihil quicquam cum Momordica commune
habet. Profert enim florem irregularem, in plerisque spe-
ciebus tetrapetalum caudatum, in paucis hexapetalum, sine
cauda; semina præterea multa, fere rotunda, placentæ alicui
affixa, in capsula ventricosa, per maturitatem sponte, vel a leví
contrectatione dissidente, & in quinque partes se convolven-
te, granulaque huc illuc dispergente alit.

Huic C. Bauhinus, in Pinace, alias plantam, ex simili
causa sua semine excutientem, jungit, eique *Balsamina lutea*,
sive *Noli me tangere* nomen imposuit, quam Jo. Bauhinus ab-
solute *Noli me tangere*, Dodonæus autem, & post eum Excell.
Rivinus *Impatiensem* herbam nominavit, placuitque ipsi Tour-
nefortio adeo C. Bauhini appellatio, vt eam non solum Ele-
men-

mentis inseruerit, sed etiam in Institutionibus ipsi quatuor alias species, per colorem floris discrepantes, sociaverit. Sed adeo ex gre tulit accuratus notatum charactesticarum estimatur, Cl. Knautius, Meth. plant. genuin. hunc nominum abusum, ut Tournefortium *inepte* sub uno genere Balsaminam atque Noli me tangere comprehendisse, pag. 196 scribat; cum haec capsulam angustam & semen longum, illa contra ea capsulam, in medio turgidam, semenque rotundum comprehendenda.

Nibilo melius, inquit Clariss. Heucherus, Proventu 2, Hort. med. p. 71, Momordica a Franciso de Honuphriis Granadilla, flore maximo, associatur: possidet enim haec non solum ab hac, sed etiam a reliquis herbis omnibus, sola forsitan Marucuja excepta, floris & fructus prouersus discrepantem characterem. Nec ingens tandem error illorum Herbariorum pratereundus est, quem Mathiolus, in notis ad Diosc. Lib. 3, cap. 114, p. 623, recenset, qui Geranium, majoribus malve foliis, in pluribus hortis, (sine dubio ob floris elegantiam & odoris herbae favitatem, propter quas etiam apud nos illud colitur) satum, Momordica nuncupaverunt, monenturque proinde Lectores ab eodem, Lib. 4, cap. 177, p. 885, ne hanc cum geranio, neque etiam cum balsamina foemina C. B. confundant, eumque in finem hujus & Momordicae, quam balsaminam primam vocat, icones affabre juxta se pingi curavit, vt, vno intuitu, diversissimus eorum habitus dignoscatur.

Remotis igitur tot impedimentis, cognitionem veræ Momordicae difficultem reddentibus, ad species, genuino ejus charactere insignitos, transeundum est. Harum Tournefort tres tantum, unam scil. vulgarem Durantis, & duas Zeylanicas in gallicis Elementis, anno 1694 editis, recenset: nec plures etiam in Institutionibus, anno 1700 prodeuntibus, habet: cum tamen ab Hermanno dudum, anno 1698, in Paradiso Batavo, trédecim Momordicæ, maximam partem ex

Horto

Horto Malabarico, jam anno 1678 publico dato, excerptæ nominentur. Pleniorum adhuc specierum hujus herbae cognitionem ex Rajo discere licet: cum, præter unam illam, p. 647 Tom. 1, Hist. plant. in superioribus citatam, in tomo 3, seu priorum supplemento, p. 336, & seqq. ex Horto Malabar. Paradiso Bat. & Petiverio adhuc tredecim alias, quoad locum natalem, figuram, & ex parte, usum quoque, differentes, describat.

Amat hæc planta solum arenosum, solisque calori expositum, ubi, ab aspera veris & autumni aura, frigidisque pluviis per fenestras custodita, in nostro qq. climate latissime floret, suosque fructus & semina matura nobis porrigit, Morissonemque realiter refutat, quod I. c. eam in meridionalibus tantum locis proliferam, in Germania autem utraque, Anglia & Belgio nunquam fructus suos ad perfectionem perducere, scripsit. Citius adolescit planta, si crebro lotura carnium ipsis affunditur, toleratque, securus ac alia reniera vegetabilia solent, rigationem in ipsa meridie, sole admodum fervente. Ex quo phænomeno forsan opinio, temperamentum ejus frigidum & siccum esse, fluxit.

In officinis folia & fructus, plerumque sine semine, expetuntur, quoniam ea, ob tegmen suum coriaceum, ad infusionem inepta judicantur. Propter vim trumaticam, & paregoricam singularem, qua toti herbae adscribitur, non solum folia, recenter contusa, sed arida etiam, & prius per aquam emollita, vulneribus & ulceribus imponuntur, aut pulverata insperguntur. Coquuntur etiam una cum floribus & radice, herniosoque imponuntur, liquor autem quem brodium vocant, ipsis bibendus datur. Si vinum, ad coctionem adhibetur, fit inde remedium ad intestinorum dolores, eorumque vulnera, quibus alii oleum magis conducere ajunt, quod magnam sibi apud Chirurgos famam acquisivit, estque duplex, dum unum ex fructu per digestionem, alterum ex semine per expressionem præparatur.

X)(

Prius

Prius, pro diversitate affectionum, varia olea requirit, cum quibus caro fructuum in vase vitro & loco calido per mensam digeritur.

Ubi ad vulnera & dolores viscerum bibendum, aut palliarum fissuris illinendum est, nonnulli oleum amygdalorum dulcium reliquis praferunt, cum linguae gratius sit, & particulis mitioribus constet. Pro externo autem usu, plerumque oleum olivarum adhibetur ad vulnera, haemorrhoides cæcas, dolores pectoris, uteri, &c. Bina exempla graviter vulneratorum, & solo hoc oleo sanatorum, Ettmüllerus annotavit: quod etiam nonnullæ familiæ, ceu polychreston, semper in promptu habent, eoque se suosque diu a Chirurgorum ope immunes servant. Ad ambusta, per aquam, oleum, aut ferrum facta, præfertur oleum lini, cui Ettmüllerus modicum olei saturni addit. Si nervi fauciati sunt, a Matthiolo oleum terebinthinæ, aut hyperici, ad extractionem virtutis laudatur. Singulare est, quod Tabernæmontanus, pag. 1275, fœcunditatem sterilibus feminis conciliari scribit, si illæ, post balneum, genitalia oleo Momordicæ ungunt, & postmodum ad maritum accedunt. Num etiam ulcerato utero, per siphonem injectum, profit, fere dubito, cum pinchia non æque ulceribus conducant.

Cum de oleo, ex semine exprimendo, & in nostris terris vix dabilis, nil memoratu dignum dicendum inveniam, ideo ad ἔγον potius, historiam vitæ & studiorum clarissimæ nostri Candidati, me conseruo.

Prima ipsi dedit incunabula Islebia, civitas Comitatus Mansfeldensis præcipua, & Lutheri natalis, propter metallo fidinas insigniter celebrata, ubi A. O. R. MDCXCVI, die 5 Martii, in lucem editus est. Pater ipse contigit Dn. ANDREAS GODOFREDUS NITSCHKE, Medicus Hassiacus castrensis felicissimus, & experientissimus Operator. Mater autem ANNA MARGARETHA, ex honesta stirpe Brandiana originem

dub.

ducens. In patria pietatis & literarum, pueris convenientium, rudimentis a privatis praeceptoribus bene instructus, postmodum Schmalkaldia, & in celebribus Gymnasiis, Schleusingensi & Coburgensi, per viros, ob eximia in Ecclesiam & studiosam pubem merita, maximi estimatos, RUSMANNOS, MEISIOS, LUDOVICOS, SCHABIOS, HOFFMANNOS, GERNLENIOS, SCHWARZIOS, per integrum decennium, in omnibus humanioris literaturæ partibus, ad genuinam eruditionem aspiranti juveni necessariis, solide & dexterime informatus est, ut anno 1714, d. 10 Martii, hanc Salanam ingredetur, & a magnifico Pro-Rectori, Dn. Io. IACOBO SYRBIO, Philosophia P. P. ordinario, in numerum studiosorum receptus, statim apud Dn. WUCHERERUM, t. t. Philosophia Adiunctum, jam vero physicæ dogmaticæ P. P. Historiam philosophicam audire, primæque Philosophia præcepta per manu inductionem Dn. M. SIDELI discere, physicam vero doctrinam ex ore DD. TEICHMEYERI, jam physica experimentalis P. P. vt & Medicinæ extraordinarii, audire valeret.

Medicum studium aggressus, illustris Dn. GEORGIE WOLFGANGI WEDELII, Hæreditarii in Schwarza, Med. D. & Chim. atque Prax. P. P. famigeratissimi, Comitis palatini, sacræ Cesareæ atque Catholica Majestatis, vt & serenissimorum Sax. Ducum Archiatri & Consiliarii, Vinariensis aulici, Acad. & Med. Facult. Senioris gravissimi, solidissimis physiologiz & pharmaciæ acromaticæ, compositionisque medicamentorum explicationibus sedulo & cum insigni fructu interfuit.


Haud minori assiduitate Dn. Io. ADOLPHUM WEDELIUM, Phil. & Med. D. Theoret. P. P. celeberrimum, Consiliarium & Archiatrum Ducalem Saxonicum, & Medicum Prov. Vinariensem, h. t. Pro-Rectorum Academiz magnificum, in privatis collegiis, physiologiam, pathologiam, semioticam & therapeuticas, in publicis autem morbos capitum, mediique & intimi ventris tractantem, auscultavit; cadaverque masculinum accuratissime dissecanti & demonstranti adstitit.

A supra laudato DD. TEICHMEVERO quoque non solum cursim, ut vocant, universa artis capita, sed per privatissimam insuper informationem, cum decente, & haud perfuntorie tradendis dogmatibus necessaria mora, physiologica, pathologica, materiam medicam, compositionem medicamentorum extemporaneam atque anatomica haufit, eaque, iisdem ædibus ac mensa cum illo per triennium fere utens, ex quotidiana conversatione non parum auxit.

Vidit quoque me privatum chymiam, publice vero herbas & variusque sexus cadavera demonstrantem, ubique laude dignissimam attentionem exhibens.

Tandem, per integrum biennium Belgij Academias & Frisia orientalem peragendo, plurima oculis auribusque, suis studiis convenientia, colligit, iisque coronidem quasi apud nos acquisita eruditio imposuit. Cujus publicum testimonium vt a nobis impetraret, examina, Doctoralium honorum Candidatis subeunda, masculæ superavit, defenderetque instante die XVIII Octobris alacriter, sub meo praesidio, inauguralem de Tumoribus tunicatis Dissertationem. Quam ut magnificus Dn. Pro-Rector, Proceres Academiz, omnium ordinum Hospites, favensque Studiorum corona solenniorem reddant, est quod, nomine Collegii, observantissime & amanter peto. P. P. sub Sigillo Facultatis, die XV Octobris, MDCCXIX.





DO A 6374

ULB Halle
002 929 228

3



St

St - St. 1

UDK





60a

MEDICÆ FACULTATIS DECANI
IO. HADRIANI SLEVOGTII
M. D. ET P. P.
PVBLICA INVITATIO
AD
INAVGVRALEM DISSERTATIONEM
DE
**TVMORIBVS
TVNICATIS**
cui
PROLVSIO
DE MOMORDICA
PRAEMITTITVR
DIE XV OCTOBR. A. O. R. MDCCXIX.

IENAE
LITERIS VVERHERIANIS.